



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 7. Religionum benefactores.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

Vox Domini preparantis cervos. ib. v. 9. Vox Domini non tantum facit viros contemplativos, quietis, & solitudinis, amatores; sed etiam preparat, ac perficit instar cervorum sublimia quærentes; & in excelsis montibus Evangelicæ perfectionis commorantes: qui serpentes ex latibus trahunt, & absumunt; bellum contra diabolum, & peccata, gerunt. de Ponte. in Cant. 2. Exh. 1. §. 4.

Quid facis in paterna domo delicate miles? ubi vallum? ubi fossa? ubi hyems acta sub pelibus? Ecce de cælo tuba canit: ecce cum nubibus debellaturus orbem imperator armatus egreditur: ecce bis acutus gladius ex ore regis procedens, obvia quæque metit. Et tu de cubiculo ad aciem; tu de umbra egredieris ad solem. Corpus asvetum tunicis loriceæ onus non fert; caput operum linteò galeam recusat: mollem otio manum durus exasperat capulus. Audi edictum Regis tui: *qui non est mecum, contra me est: & qui non congregat mecum, spargit.* Matth. 12. 30. Recordare tyrocinii tui diem, quò, Christo in baptisate consepul- tus, in Sacramenti verba jurasti, pro nomine ejus non se patri paritutum esse, non matri. Ecce adversarius in pectore tuo Christum conatur occidere: ecce donativum, quod militaturus acceperas, hostilia castra suspirat. Licet parvulus ex collo pendeat nepos; licet, sparsò crine, & scissis vestibus, ubera, quibus te nutrierat, mater ostendat; licet in limine pater jaceat: per calcatum perge patrem; sicis oculis ad vexillum crucis evola. Solum pietatis genus est, in hoc non esse crudelem. Veniet, veniet, postea dies ille; quò victor revertaris ad patriam; quò per Jerosolimam cælestem, vir fortis coronatus incedas. S. Hieron. t. 3. ep. 1. ad Heliodor.

Nunc tibi blandis vidua soror hæret lacertis: nunc illi, cum quibus adolevis, vernulæ ajunt: cui nos servituros relinquis? Nunc & gerula quondam, jam anus, & nutricius, secundus, post naturalem pietatem, pater clamitat: morituros expecta paulisper, & sepeli. Forsitan & laxis uberum pelibus mater, aratâ rugis fronte, antiquam referens mamma lallate, congeminet. Dicant, si volunt, & Grammatici; in te omnis domus inclinata recumbit. Facile rumpit hæc vincula amor Dei, & gehennæ timor. At contra Scriptura præcipit, parentibus obsequendum. Sed quicumque eos supra Christum amat, perdit animam suam. Gladium tenet hostis, ut me perimat; & ego de matris lacrymis cogitabo? Propter patrem militiam Christi deseram, cui sepulturam Christi causâ non debeo. Id. ib.

§. V.

Religionis ingressus, probatio.

Hic talis est primus Religionis introitus, sicut in Mundum primus Christi ingressus: ut, quicumque piè vult vivere, humiliter de se sentiat; neque supra se in mirabilibus ambulare præsumat. Fundamentum sanctitatis sem-
Polyanthea Sacra. Tom. II.

per fuit humilitas; nec in cælo stare potuit superba sublimitas. S. Cyprianus de Nat. Chr. S. Bernardus Abbas jam adventantibus Novitiis dicebat; si ad ea, quæ intus sunt, festinatis; hic foris dimitte corpora, quæ de seculo attulisti. In vita ejusdem l. 1. c. 4.

Ambiens quis intrâ Cœnobii recipi disciplinam, non antè prorsus admittitur, quàm diebus decem, vel eò amplius pro foribus excubans, indicium perseverantiæ, ac desiderii sui, pariterque humilitatis, ac patientiæ, demonstraverit. Cùmque omnium prætereuntium fratrum genibus provolurus, & ab universis de industria refutatus, atque despectus, injuriis quoque, ac exprobrationibus multis, affectus, experimentum dederit constantiæ suæ; diligentia summâ perquiritur, nè de pristinis suis facultatibus inhaerit ei vel unius nummi contagio. Cassianus de Cœnob. instit. l. 4. cap. 3.

§. VI.

Religionis perseverantia.

Jesus clamans voce magnâ emisit spiritum. Matth. 27. 50. Quid in hoc cruce (Religionis) nobis faciendum? Utique, quod Christus fecit in sua; moriendum est in ea: quia Christus mortuus est in sua. Si perstrepat Mundus; si daemones; si caro propria; & dicat: *descende de cruce;* dic ei; nihil certius morte, nihil incertius horâ mortis: *vigilabo, & stabo, in cruce;* donec inclinatò capite tradam spiritum. Blesens. l. 9. in Purif. B. V.

Descende de cruce. Matth. 27. 40. Qui suadent crucis descensum, propter asperum sensum; similes sunt diabolo; quia similia diabolo dicunt. Hoc enim Christo diabolus dixerat in deserto: *si Filius Dei es, dic, ut lapides isti panes fiant.* Matth. 4. 3. Cass. l. 13. hic.

Carthusianus, vir in sæculo dives, tentatus ad exitum; jamque recessurus aviculam emisit è cavea apertis fenestris: *vola, inquit, liberè, quò volueris; mox sequar te.* Hæc, clausuræ semper impatiens, nusquam voluit de cella migrare. Ille divino hoc adscribens dono, passus est se ab ave doceri; perseveravit in monasterio. Dion. Carth. Exhort. ad Novit.

§. VII.

Religionis benefactores.

Quatuor reliquias permitto vobis in sementem, & in cibum, familiis, & liberis vestris. Gen. 47. 24. Beneficus Joseph non multum estimaret beneficium, nisi esset perpetuum. S. Ambros. offic. l. 2. c. 16. ó virum magnum! qui non largitatis superflua temporalem captat gloriam, sed perpetuam commoditatem constituit providentiæ. Bæza t. 3. l. 14. c. 10. §. 8.

Facies & saga cilicina undecim ad operiendum tectum tabernaculi. Ex. 26. 7. Possunt per saga, quæ byssum, & purpuram, hyacinthum & coccum, nè procellarum injuriis pateant, subtegunt, sæculares intelligi di-
A a a 2 vites;

vites; qui in Ecclesia sunt: qui sanctis, vel in sancto proposito Deo servientibus, nè ullam habeant necessitatem vagandi foris, quod non expectit animabus eorum, necessaria vitæ de facultatibus suis subministrant, pro redemptione peccatorum suorum. S. Rupertus lib. 4. hic.

Et cedri Libani &c. Pl. 103. 16. 17. Nobiles, atque sublimes, propter excellentiam suam, dicuntur cedri. *Illic passeret nidificabunt.* In istis cedris Libani, quas gratia Dei plantat, & faciat, *nidificabunt passeret.* Hi scilicet, qui elegerunt humilitatem; & relictis, quæ habebant, aut venditis, nihil sibi in hoc sæculo reservarunt: sed divitum Christianorum domibus, agrisque, suscepti necessariis solatiis adjavantur. S. Prosper Aqu. hic.

Illic passeret nidificabunt. ib. Passeres Monachos significat: qui in cedris Libani, id est, in patrimonio potentium Christianorum, velut in quibusdam ramis, monasteria sibi, quasi nidos aliquos, ædificare monstrantur. Cassiodorus hic.

Cum universis lignis Libani. Cant. 4. 14. Ligna Libani sunt quidam amici nostri, potentia sæculi grandes, atque facultatibus dilatati: ita ut ex elemosynis illorum sustententur parvuli nostri; quemadmodum in ramis lignorum Libani nidificant passeret. sic qui spiritualibus abundant minus, carnalia spiritualibus communicant, ut jure spiritualium illorum participes fiant. S. Rupertus hic.

Crura illius columna marmorea. Cant. 5. 15. Isti sunt, qui rebus suis Religiosos sustentant; qui bona temporalia illis impartuntur; ut spiritualia ab eis recipiant. Richard. a Vist. c. 39. in Cant. hic.

Non Moyses dedit vobis panem de caelo: sed Pater meus dat vobis panem de caelo verum. Joan. 6. 32. Cur dicitur *dat*? illa opera munificentia sunt digna Deo, quæ non finiuntur tempore, sed quotidie continuantur. Bæza 1. 3. l. 14. c. 10. §. 8.

Qui facit justitiam, justus est. 1. Joan. 3. 7. Qui spiritualia bona habentibus temporalia subsidia tribuit; in ipsis donis spiritualibus cooperatur existit. V. Beda hic.

Miscellanea.

Amice, quomodo hic intrasti &c. Matth. 22. 12. Rex, cum pannosum in epulo deprehendisset, nec illum præterit, quod solus for-

deret; nec alios eiecit, propter consortium ejus. Hunc projici jussit in tenebras, illis dapes apponi mandavit: pannosque plectitur, paludati epulantur. Ut intelligas: non unius scelere Religionem totam plectendam; nec ob Religionis nitorem indulgendum fordenti. Oliva 1. 9. Serom. §. Intravit autem Rex.

Fur erat. Joan. 12. 6. Quale Collegium, qualis domus, qualis societas, qualisque congregatio, munda erit, sine iniquitate manebit; si Christi Collegium saltè habuit unum reum: qui velamentò virtutis tendebat in vitium, specie misericordiae augebat miseriam: alius videbatur intendere, qui seipsum ex toto deseruerat. Sim. Cass. l. 9. c. 34.

Nolite, propter amurcam, quæ oculi vestri offenduntur, torcular detestari; unde apothecæ Dominicæ fructu olei luminosioris implentur. S. Aug. ep. 137. q. d. fugite, quidem vitia eorum, qui Religione abutuntur: ipsam tamen Religionem, ex qua tam uberes fructus proveniunt, colite, & observate. Mendoza in 1. Reg. 7. 4.

Si quis nunc ad Ægypti veniat solitudines, Paradiso profus omnem illam videbit eremum digniorem; & innumerabiles Angelorum cœtus in corporibus fulgere mortalibus; & populos Martyrum, & choros Virginum & omnem quidem tyrannidem diaboli dissolutem; Christi autem regnum coruscans. S. Chryso. hom. 8. in Matth. 2.

Non ita variis astrorum choris cœlum refulget; ut Ægyptus innumeris Monachorum, ac Virginum, distinguitur, atque illustratur habitaculis. Id. ib.

Nusquam est securitas, fratres; neque in cœlo, neque in paradiso, multò minus in Mundo. In cœlo enim cecidit Angelus sub præsentia divinitatis; Adam in paradiso de loco voluptatis; Judas in Mundo de schola Salvatoris. Hæc idcirco dixerim; nè quis sibi de loco isto blandiatur, quia dicitur: locus iste sanctus: quia non locus homines; sed homines locum sanctificant. S. Bernardus s. de ligno, fœno, & stipula.

Christus divisus non est, sive in alba, sive in pulla veste; in omni professione, & Ordine, in omni gente. Quicumque operatur voluntatem Domini, acceptus est illi. Attendi Domini, acceptus est illi. Attendit Dominus mentem, non vestem; merita, non colorem. Blefens. ep. 97.

